

appetitus sensitivi. Unde dicit Philosophus (1) tertio Ethicorum, quod hae virtutes sunt irrationalium partium animae et cetera.

Responsio in libro magistri.

QUAESTIO XIV.

Utrum peccatum originale sit maius quam actuale.

Ad secundum istorum praedictorum sic proceditur, et arguitur quod peccatum originale sit maius quam actuale, quia peccatum quod magis opponitur et repugnat gratiae maius videtur. Sed originale est huiusmodi, quia non compatitur secum gratiam; sed veniale compatitur. Quare et cetera.

Contra. Culpa respondet poena. Ergo culpa illa minor est cui minor respondet poena. Sed secundum Augustinum (2) de baptismo parvulorum, peccato originali debetur minima poena. Quare et cetera.

Responsio in libro magistri.

QUAESTIO XV.

Utrum voluntas sit magis libera potentia quam intellectus.

Deinde circa potentias ut circa potentiam voluntatis quaerebantur duo. Primum erat de ipsa in comparatione eius ad aliam potentiam scilicet intellectum, scilicet utrum voluntas sit magis libera potentia quam intellectus. Secundum erat de ipsa in comparatione ad suum actum, videlicet utrum voluntas facta in actu respectu finis, volendo scilicet ipsum finem, possit se ipsam per se absque adiutorio apprehen-

(1) Aristotelis *Ethic. Nicomach.* l. III, c. 13 (p. 1117). Μετὰ δὲ ταύτην περὶ σωφροσύνης λέγωμεν· δοκοῦσι γὰρ τῶν ἀλόγων μερῶν αὐταὶ εἶναι αἱ ἀρεταί. — (2) Augustini *contra Iulianum* l. V, c. 11 (P. L., vol. 44, col. 809): « Ego autem non dico parvulos sine Christi baptismo morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret. Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? » Cfr. *Enchiridion*, c. 98 (P. L., vol. 40, col. 275): « Mitissima sane omnium poena erit eorum qui praeter peccatum quod originale traxerunt nullum insuper addiderunt. »

sionis intellectus facere in actum respectu eorum quae sunt ad finem, scilicet talia eligendo.

Ad primum praedictorum sic proceditur, et arguitur quod voluntas sit minus libera quam intellectus, quia potentia quae aliquo modo cogi potest est minus libera quam illa quae nullo modo cogi potest, cum libertas coactioni repugnet. Sed intellectus cogi potest nullo modo; voluntas autem aliquo modo cogi potest. Quare et cetera.

Minor probatur. Nam ab illo quod convenit alicui secundum eius naturalem inclinationem non cogitur illud. Sed intellectus naturalem habet inclinationem et appetitum ad omne intelligibile ad quod est in potentia naturali. Ergo a nullo intelligibili cogitur vel necessitatur. Sed voluntas aliquando vult aliquid aliquo modo coacte et involuntarie. Nam secundum Philosophum (1), tertio Ethicorum, est quoddam involuntarium et [im]mixtum quod etsi sit simpliciter voluntarium, est tamen aliquo modo et secundum quid involuntarium. Tale autem in quantum est involuntarium, in tantum est coactum et violentatum. Ergo voluntas aliquo modo saltem secundum quid violentatur et cogitur. Quare et cetera.

Contra. Illa potentia ratione cuius homo est dominus suorum actuum, maxime est libera. Sed haec est voluntas, quia secundum Bernardum (2) de libero arbitrio, universa quae sunt hominis libera sunt et propter voluntatem.

Responsio in libro magistri.

QUAESTIO XVI.

Utrum voluntas facta in actu respectu finis possit se ipsam absque adiutorio intellectus facere in actum respectu eorum quae sunt ad finem.

Ad secundum praedictorum sic proceditur, scilicet quod voluntas facta in actu respectu finis scilicet volendo ipsum potest se ipsam | cod. V
absque adiutorio intellectus facere in actum respectu eorum quae sunt fol. 281 R^a

(1) Aristotelis *Ethic. Nicomach.* l. III, c. 1 (p. 1110): Μικταὶ μὲν οὖν εἰσὶν αἱ τοιαῦται πράξεις, ἐόντασι δὲ πολλοὶ ἐκουσίαι. — (2) Cfr. Bernardus, *De Gratia et libero arbitrio* (P. L., vol. 182, col. 1004).

ad finem, eligendo ea quae sunt ad finem. Nam voluntas est magis activa potentia quam intellectus. Sed intellectus perfectus in actu secundum cognitionem principiorum per se ipsum potest se facere in actum secundum cognitionem conclusionum. Sicut autem intellectus se habet respectu primorum principiorum et conclusionum, ita se habet voluntas respectu finis et eorum quae sunt ad finem. Ergo et cetera.

Praeterea, quanto aliquid est immaterialius, tanto est actualius et virtuosius. Sed aliquod compositum immateriale ens in actu secundum formam substantialem potest se ipsum facere in actum secundum formam accidentalem. Nam, ut dicitur *primo*¹ Physicorum (I), materia cum forma causa est omnium accidentium quae sunt in ea, quod non intelligitur solum in ratione materiae et subiecti, sed in ratione agentis. Quare et cetera. Nonne aqua existens aqua calida sibi derelicta reduceret se ipsam ad frigiditatem absque transmutante essentialiter, et grave etiam facit se ipsum deorsum cum est a generante factum actu grave et cessat prohibens illud?

Contra. Nihil reducit se ipsum de potentia in actum secundum idem. Sed voluntas est simplex. Ergo cum est in potentia ad aliquid, cum secundum se totam sit in potentia ad id, nullo modo potest se ipsam reducere ad actum secundum illud. Quare et cetera.

Responsio in libro magistri.

¹ secundo V; primo potest reperiri in marg. add. al. man. V.

(1) Aristotelis *Physic.* I. I, c. 9 (p. 192). Ἡ μὲν γὰρ ὑπομένουσα συναντῖα τῇ μορφῇ τῶν γινομένων ἐστίν, ὥσπερ μήτηρ.

LES Philosophes Belges

Textes & Études

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain

TOME II. Les quatre premiers Quodlibets de Godefroid de Fontaines


(Texte inédit)

PAR

M. DE WULF
Professeur à l'Université de Louvain

et

A. PELZER
Docteur en philosophie



THE LIBRARY, ST. CHARLES SEMINARY, CARTHAGENA, TENN

LOUVAIN
INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE DE L'UNIVERSITÉ

1904